

non est ecclesiis obrudendus. [83:] Sed singulas particulas, quae nos offendunt, intueamur et breuiter expendamus.

Fol. 3: „cui meritum passionis Christi applicatur“<sup>23</sup>

Hic callide videtur dissimulare instrumentum applicationis nempe fidem seu  
 5 fiduciam in mediatorem Christum, qua sola fit applicatio meriti passionis  
 Christi, ut postea subintroducatur in locum iustificationis charitatem nostram,  
 opera et officia atque exercitia nostra, ut etiam sint applicationes meriti et  
 beneficii redemptionis. Verum hoc sentimus cum scriptura sancta, quod nul-  
 lum opus nostrum, nulla virtus, nullum officium vel apprehendit vel applicat  
 10 nobis meritum Christi, sed sola fides ad hoc faciendum a Deo donatur.<sup>24</sup>  
 Spes enim expectat ea, quae fides apprehendit, nimirum quod vita aeterna,  
 quae hic tantum inchoata est, credentibus post mortem formaliter contingat.  
 Charitas vero seu dilectio se gratam erga Deum et proximum ostendit in  
 utraque decalogi tabula, quantum potest, non obstante carnis imbecillitate,  
 15 sicut mulier illa peccatrix Luc.VII dilexit multum, quia remissa erant ei  
 multa peccata per fidem, qua saluata est.<sup>25</sup> Meritum igitur passionis Christi  
 per fidem credentibus applicatur non per charitatem, virtutes, opera, officia  
 et exercitia credentium, quae fructus fidei sunt, et non Deum in loco iusti-  
 ficationis, [84:] sed proximum extra locum iustificationis respiciunt, ibi  
 20 etiam ut praeclara Dei dona semper magnificienda. Gal.V: „Per charitatem  
 seruite inuicem.“<sup>26</sup>

Ibid.: „is continuo iustificatur“<sup>27</sup>

Haec particula, si non intelligatur de integra et perfecta iustificatione, quae  
 fit coram Deo sine nostrae charitatis additamento, tunc opus habet correc-  
 25 tione.

Ibid.: „inuenit remissionem peccatorum“<sup>28</sup>

Haec omnia, quae ordine sequuntur, solius meriti Christi beneficia sunt et  
 effectus. Ergo non contingunt per vel propter opera nostra.

<sup>23</sup> Augsburger Interim IV, 43; Augsburger Interim (Ulhart), B 3r.

<sup>24</sup> Nach reformatorischer Theologie ist es allein der Glaube („sola fide“) an das Heilswerk Christi, durch den der Mensch gerechtfertigt wird. Die guten Werke des Gerechtfertigten werden verstanden als Folge und Frucht der Rechtfertigung, keinesfalls als deren Bedingung. Vgl. Eberhard Jüngel, Art. Glaube, in: RGG<sup>4</sup> 3 (2000), 962–965.

<sup>25</sup> Vgl. Lk 7,47–49.

<sup>26</sup> Gal 5,13.

<sup>27</sup> Augsburger Interim IV, 43; Augsburger Interim (Ulhart), B 3r.

<sup>28</sup> Augsburger Interim IV, 43; Augsburger Interim (Ulhart), B 3r.